



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Jacobi Lobbetii Leodiensis E Societate Iesv, De Fortitvdine Et Constantia Christiana Libri Tres

Lobbet de Lanthin, Jacques

Leodii, 1640

§. 9. Præclara incitamenta patientiæ, ac fortitudinis ex Tertulliano  
desumpta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49140](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49140)

§. 9.

*Praeclara incitamenta patientiae, ac  
fortitudinis ex Tertulliano desum-  
pta.*

**T**ertullianus ad martyres li-  
brum inscripsit, stylumque  
duxit altius, vel ut ijs animos face-  
ret, vel ut inuictam eorum con-  
stantiam deprædicaret: & quidem,  
Primum ex eo quod Spiritus  
Sanctus cum eis introeat in carce-  
rem, qui ex vero *Diaboli domus est,*  
& *in quâ familiam suam continet.*  
Eo porro perueniunt martyres, ut  
illum etiam *in domo suâ conculcent:*  
iam enim foris congressi concul-  
carant fide muniti, & concordia  
armati, quâ enim potius? pax quip-  
pe Christiana bellum est illi; in  
quod vbi concesserunt Christi pu-  
giles,

giles, omniaq; generosi animi impedimenta vsque ad limen carceris deduxerūt, exinde segregati sunt ab ipso mundo; multoque magis à sæculo, eiusq; rebus.

Et hinc sese erigit Martyrū constantia; sed inde etiam magis, quod extra carcerem sæculo renuntiarint in carcere autem etiam ipsi carceri. Hinc illę Tertulliani voces, illud de Martyribus encomium.

*Nihil interest ubi sitis in sæculo, qui extra sæculum estis.*

Ex eo vero quod extra sæculum sint, primum fit, vt auferatur carceris nomen, & potius secessus vocetur, etsi enim corpus includatur, etsi caro detineatur, omnia tamen eorum spiritui patent, quia totum hominem animus circumfert, & quo vult, transfert. Fit deinde & alterum

terum quod etiamsi in equuleo, & catastâ distendi videantur, etiamsi lento igne torrerer, atque vstulari, gemereque sub immensâ tormentorum mole, non gemunt tamen: quia vt magnificè ille ipse Tertulianus, quo authore hic vtor. *Nihil crus sentit in neruo, quum animus in caelo est.*

Quidni autè in caelo sit bonum agonem subiturus, in quo Agonethetes Deus viuus est, Xystarches Spiritus sanctus, corona eternitatis brauium, Angelicæ substantiæ politia in calis, gloria in sæcula seculorum: ad quam priusquam peruenirent Epistates Christus Iesus eos Spiritu vnxit, ad illud scamna produxit, & instar Athletarum ad strictiore disciplinam segregauit; quia scilicet *virtus duritiâ extruitur, mollitie vero destruitur.*

Ad eam porro duritiam quæ sur-  
 git, ac construitur virtus, forman-  
 tur Martyres non carne, sed spiritu,  
 illa enim infirma, hic firmus est.  
 Timet caro gladium grauem, &  
 crucem excellam, & rabiem bestia-  
 rum, & summam ignium penam,  
 & omne carnificis ingenium in  
 tormentis. Sed spiritus contrapo-  
 nit sibi, & carni, acerba licet ista, à  
 multis tamen æquo animo excep-  
 ta, imo & vltro appetita famæ, &  
 gloriæ causa; & quidem illius, que  
 tenues vanescit in auras, & morta-  
 lis vitæ stadio clauditur: quo in ge-  
 nere produci potest Lucretia, qua  
 vim stupri passa, cultrum sibi ade-  
 git, vt gloriam castitati suæ pareret.  
 Asdrubalis vxor, quæ iam ar-  
 dente Carthagine cum maritum,  
 suum supplicem Scipionis videret,

vna

vnà cum filijs suis in incendium patriæ deuolauit.

Meretrix illa Atheniensis, quæ conscia coniurationis cū propterea torqueretur à tyranno, & non prodidit coniuratos, & nouissimè linguam suam resectam in faciem tyranni expuit, vt nihil agere se sci-  
rent tormenta, etsi vltra perseuera-  
rent.

Produci potest & illa solemni-  
tas apud Lacedæmonios longè ma-  
xima, quæ flagellatio dicitur. In eâ  
ante aram nobiles quique adole-  
scentes flagellis affliguntur astan-  
tibus parentibus, & propinquis, &  
vti perseuerent adhortantibus. *Or-  
namentum enim, & gloria deputa-  
bitur, maiore quidem titulo, si anima  
potius cesserit plagis, quàm corpus.*

Produci deniq; potest (ne omnes

M

CON-

178 DE FORTITVDINE  
confecter, quod longum esset) Mu-  
tius qui manum suam dexteram  
in arâ cremauit, vt hoc factum eius  
fama haberet.

Quod si tantum terrenæ glorie  
licuit de corporis, & animi vigore,  
vt gladium, ignem, crucem, aliaque  
tormenta contemnerent, mortales  
sub præmio laudis humanæ: quid  
licebit ad consecutionē gloriæ ce-  
lestis, ac diuinæ? *Si tanti vitream,*  
*quanti veram margaritam? quis pro*  
*vero non tantum habeat erogare,*  
*quantum alij pro falso?*

Certè hæc vna cogitatio, & pa-  
tentis cæli, ceu mercedis aspectus,  
Martyribus animos addidit, ad au-  
dendum, ad patiendum quidlibet.

Atque etiam nobis addere de-  
bet, ne in supremo Iudicij die, cum  
orbis cum orbe componetur, &

cum

cum Gentili etiã Christianus, me-  
rito cõfundamur. Si reformidaue-  
rimus pati pro veritate in salutem,  
quæ aliij affectauerunt pro vanitate  
in perditionem.

---

§. 10.

*Effusa Martyrum etiam in tormentis  
latitia, atque exultatio.*

**P**Rocopius inuictus Christi pu-  
gil Mutio illo longè superior  
thus manu accipere, illudq; subie-  
ctis prunis ardētibus sustinere ius-  
sus, vt si fortè dolore victus dextrã  
inuertisset iniectis in ignem suffiti-  
bus, Dijs litasse videretur. Ea tyran-  
ni vis, ac dolus fuit, quem probè e-  
lusit vir sanctus, manum quippe  
immotam lento igne aduri passus,  
ne qua maledicentiæ daretur occa-  
sio: ac ne vox, ne animus deesse vi-  
deretur,